749.

DISPUTATIO EXTRAordinaria VI.

MATERIAM

FIDEIUSSORUM, UTILEM NON MINUS, quam difficilem, continens,

Cujus

Θεῦ συνεργοῦντος

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

SUB PRAESIDIO

Dn. BONAVENTURÆ GAUERI, J. U. C. Thuringi.

Defenſor eſt futurus,

Claudius Plumius Haffn. Danus, I.L. ſtudioſ.

Menſe Novemb. die hora locoq́ue ſolitis.

VVITEBERGAE,

Typis Cratonianis, per Joh. Gorman.

ANNO M. DC. VII.

Generoſa nobilitate, amplitudine Strenua, reverenda dignitate, autoritate maxima, rara eruditione, & eximio rerum uſu, atque experientia Magnificis

VIRIS:

Dn. CHRISTIANO FRISIO,

Equiti Dano Primario de Borreby, &c. Sereniſsimi Regis Daniæ Cancellario digniſsimo, laudatiſsimo, &c.

UT ET

Dn. HENRICO Rammeln, Equiti

Pomerano: in Beckeſkow Hæreditario, &c. Excancellario Teutonici ordinis vigilantiſsimo, nunc ejuſdem Potentiſsimi Regis Danorum Conſiliario ſummo, & intimo.

Dnn. Mecœnatibus, ac Promotoribus meis, ut & literarum & literatorum omnium ingentibus, benigniſsimis

Has ſuorum ſtudiorum primitias,
In devotæ obſervantiæ ſignum,
Qualis qualis gratitudinis, obſequijque promtiſſimi ſymbolum
O. D. C.
Claudius Plumius Haff:
LL. ſtudioſ. Reſp.

CVm non ſaltem quis proprio, ſed & alieno nomine obligetur, ſecundum Cajum ICtum, in l. 1. §. 8. de O. & A. Ille principalis dicitur, hic fidejuſſor, nobis vero in præſenti ſit propoſitũ diſceptare de eo, qui alieno nomine obſtrictus eſt, ſecundum Tullij conſilium à definitione inchoamus.

Dn. Gœdd. in tr. de contrah. & committ. ſtipul. c. 5. concl. 1. 2. 3. 4. VVeſenbec. in rubr. I. h. Cujac. in pr. ff. h. Videbimus tamen prius: utrum fidejubere liceat nec ne? *vide Hering. in aureo ſuo tr. de fidejuſ. c. 1.*

CONCLUSIO I.

Eſt autem fidejuſſor *a*) qui ſtipulatione *b*) interpoſita, alienam obligationem *c*) fide ſua eſſe jubet *d*) principali tamen nihilominus manente obligato *e*)

a) *Hinc dictus quod rogetur, utrum fide ſua, eſſe jubeat VVeſenb. d. l. qui alias* adpromiſſor ſæpe in jure appellatur. *l 5. §. 2. de V. O. ubi Cujac. Duar. Donell. l. 64 ſolut. matrim.* ideo quod ad id quod alius debet accedat, idemque promittat, *Duar. c, 1. h Mynſ. Borch. ad rubr. I. h. Donell in rubr. C. h.* Vide tamen differentias inter fidejuſſorem & adpromiſſorem indemnitatis, Schadloßbürgen oder Rückbürgen, *apud præclar. Præc. Gœdd. in l. 150 n. 2. de V. S. Coſtall. in l. ſi ego decem. de reb. cred.* Ab expromiſſore autem differt fidejuſſor, quod ille novandi animo promittit, ac proinde ſolus obligatur, liberato eo, à quo datus. *l. 7 §. ſervus de dol. mal. l. 4. de cond. cauſſa dat. l f. C. ad SCtum Maced.* hic v. tantum abeſt, ut ſolus obligetur & liberet principalem, ut ſine eo conſtitui nequeat. *pr. §. 1. 5. I. h. l. 1. 8. §. 1. 2 ff. h.* Differt & à mandatore, quod hic alteri mandat, ut vel fidejubeat pro ſe, aut alio. *l. 22. mandati.* vel pecuniam alicui credat, vel negotia gerat. *l. 27. ff. mandati Sich. ad rubr. C. h.* Item quod hic nudo conſtituitur conſenſu, non ut fidejuſſor per ſtipulationem

T. I. de mandato. l. 1. l. 2 l. 32. ff. eod. Duar. c. 2. h. & per hoc præſens tantum fidejubet, l. 1. in pr. ff. de V. O. mandat v. ſive præſens ſive abſens. *d. l. 22. §. ſi curator. 10. d. l. 32. Sich ad rubr. n. 8. & 9. C. h.* Accedit, quod mandator non habet actionem, niſi ei cedatur, fidejuſſor mandati, vel negotiorum geſtorum habet actionem, *Cujac. in l. 21. §. 5. de pact. & 23. obſ. 25.* Sed illam perfectam eſſe differentiam, quod mandator ſemper antecedat principalem obligationem, fidejuſſor non ita, cum Dn. Gœd. *d. lo. c. 5. concl. 5.* contra Duar. Sichard. & alios negamus. Tertio differt à conſtitutore, quia vel nudo tantum pacto, vel etiam per epiſtolam conſtituere quis poteſt. *l. 26 ff. de conſt pecun.* fidejubere non æquè, conveniunt tamen in eo, quod nec fidejuſsione prior obligatio novetur. *l. 3. §. in eum. ff de admin. rer. ad civit Dn. præc. Vult. ad pr. I. h. n. 14. Sich. d. l. n. 12.* Quartò differt à ſponſore, quia omnis fidejuſſor ſponſor eſt, ſed non contra, *cum verbum ſponſionis ſit latioris ſignificationis. l. 7. & ibi Dn. Præcept. Gœdd. n. 4. 5. 15. & de contrah. & committ. ſtipul. c 5 concl. 5. nu. 24.* Hic jam quæſtionis eſt: utrum verum Dd traditum aſſerentium, fidejuſſorem ſemper rogatum fidejubere, ſponſorem non rogatum, *conſule Gœdd. d. l. n 25.* (*b*) Sine igitur ſtipulatione fidejuſſor non conſtituitur, *l. 32. v. & in ſumma ff. mandati l. græce 8. ff. h l. 3. 6. 12. C. h.* adeo ut nec de jure Canon. ejus ex nudo pacto conſtitutio valeat. *Coſtal. in l. 7. de pact. Hippol. de Marſ. de fide. n. 356. Vaſq Illuſt. controv. 33. n. 2. 3. Bocer. de contr. c. 1. n. 8. Fach 2. cont. 100.* (*c*) *Eſt enim fidejuſſio obligatio acceſſoria: acceſſorium autem ſine ſubjecto non reperitur, aliena præſupponitur obligatio, quia nemo pro ſe ipſo idoneus fidejuſſor habetur. Conn. 6. com. 11. Vaſq. ill. cont. 40. n. 9.* (*d*) *hoc eſt periculo & præſtatione. l. 1. §. ſed aut de O. & A. l. 24. ff. h.* Hinc finis obligationis refulget, ut creditori eo diligentius pleniuſque ſit cautum in *pr. I. §. 1. de replicat.* (*e*) *l 4. 5. l. 23. l. 24. C. h t. atque hoc eſt, quod ante diximus inter fidejuſſorem & expromiſſorem diſcrimen Val. Franc. de fidejuſſ. cap. 1.* Dividi autem poteſt fidejuſſio in judicialem & extrajudicialẽ. Illa in judicio hoc modo cavetur adverſario, ut eum ſecurum reddamus datis fidejuſſoribus idoneis. *l. 1. l. 4. de cuſt. reor.* Hac in contractibus frequenter utimur, quæ ſcriptis ut plurimum perfici ſolet, *t. t. ff. & C. h. Marant. de ſatisdat. Franc. c. 1. n. 35.* Conſule Hering. *d. l. c. 4.*

II.

Vnde conſequens eſt omnes fidejubere poſſe, qui ſtipulando obligari poſſunt.

Hoc

Hæc igitur ceu genere negato negatur & illud, Eberh. in top. à genere ad ſpeciem. Dn. Gædd. d.l. c. 7. concl.1. Gomez. 2.variar.13.n.16. Duar.c. 4.h.

III.

Hinc infans *a)* furioſus *b)* prodigus *c)* nimia ebrietate obrutus *d)* fidejubendo non obligantur, ut nec mutus & ſurdus *e)* deportatus vel bannitus. *f)*

(*a*) *l. 1. in princ. ff. de V. O. l. 1. §. 13. de O. & A. §. 9. I. de de inutil. ſtipulat. cum & verborum prolatione & conſenſu, quibus conjunctim hic opus, deſtituatur Dn. Gædd. d. l. cap. 7. concl. 12. nu. 170. Franc. h. cap. 2. nu. 3. Dn. Præcept. Philipp. Matth. ad l. 5 de R. I.* *b)* item mente captus, quatenus in furore conſtituti. *§. 8. 9. I de inutil. ſtip. l. 1. §. 12. de O & A. d. l 5 ubi Dn. Phil. Matth.* ubi ipſius nulla eſt voluntas, nec quid agat intelligit. *l. 3. §. 1. de injur. l 2. §. furioſ. de jure codicill. ubi per omnia & in omnibus abſentis & quieſcentis loco habetur. l. 7. §. 9. & 11. Quibus ex cauſſis in poſſ Gædd. cap. 7. concl. 9. nu. 92.* ſecus eſt, ſi perſpicuis gaudeant intervallis *Philip Matth. l. 40. nu. 13. de R. I. l. Divus de offic. præſid.* *c)* licet ſtipulando ſibi acquirat. *l. 6. de V. O. ubi Duar. & Cujac.* quia furioſo & pupillo ſimilis. *l. 6. §. f. l. 16. §. fidejuſſor. l. 8. §. 1 h. t. l. 40 de R. I. &* videtur mente carere, luxus enim quædam amentia eſt. *l. 1 ff. de curat. fur. l. 12. inſ. de tut. & curat. dat. Gædd. cap. 7. concl. 10. n. 1 21. Gomeſ. 2. var. 13. nu. 16. & 3. var. 1. n. 75. Franc. c. 2. n. 48.* Intelligimus autem prodigum, qui publico affixo diplomate à magiſtratu declaratus talis eſt contra Donell. *ad l. 6. de V. O.* Fachin *2. cont. 63.* Hippol. *de collib. ad l. 40. de R. I. cum Præcept. Vult. ad §. 2. I. quibus non eſt permiſſ. nu. 5. vide l. 27. de minor. Gædd. cap 7. nu. 41.* *d)* *arg. l. 48. de R. I. c. ſanè 15. q. 1. Menoch. A. I. Q. caſ. 326. nu. 1. Franc. cap. 2. nu. 33. vide l. 1. §. furioſum de O. & A.* *e)* *§. mutum I. de inutilib. ſtip. l. 1. in pr. de V. O. ubi Duaren. Don. Cuj.* Blæſos autem & balbutientes ſtipulari & proinde fidejubere poſſe dubio caret, modo quid velint proferant & ab alijs prolatum accipiatur. *Franc. c. 2. n. 17.* *f)* *Civiliter enim mortuus habetur. l. 7. §. f. l. f. ff. de cap. minut. §. cum autem 15. I. Q. M. I. P. P. S.* jure igitur ſtipulandi privatus. *l. 14. inſ. de novat. Cujac. ad l. 121. §. pen. de V. O.* De banno res eo expeditior, quod bannum ſucceſsit in locum deportationis. *Gail. de pace publ. cap. 1. lib. 2.* Die Acht noſtri appellant. *Vide Gædd. d. lo. concl. 4.*

IV.

Quoad pupillum nullum eſt dubium, quin ſine tutoris autoritate minimè obligetur *a*) niſi ex contractu locupletior factus ſit, *b*) non tamen uſquequaque expeditum, quid de minore ſentiendum? diſtinguunt inter curatorem habentem & non habentē, ut hîc fidejubendo poſsit ſe obſtringere *c*) ille verò non *d*) in quorum tranſimus caſtra contra Cujac. *e*) Franc. *f*) Borch. *g*) Fach. *h*)

a) *§.9. de Inutil. ſtip. l.41. de cond. indeb. l.43. l.59 de O. & A. l.ſ de jur. & fact. ign.* *b*) *l.5. §.1. de aut. tut Vult. diſc. c.16 & 1 I. R. c.24. n.7. Gœdd. c.7. nu.177. Men. A. I. Q.57. Col. de proceſſ. executiv. p.2. c.3. nu.194. Contrad. Don. 12. com 22.* *c*) quia pro patreſamilias habetur. *l.101. de V.S.* Læſus tamen reſtituitur in integrum. *l.1. 3. §.6. l.7. § non ſolum l.16. l.33. l.40. de minor. l.48. §.1. h. l.3. C. de reſtit. in integr. min. l.3. C. de his qui ven. ætat.* niſi major factus acta comprobaverit, quo caſu reſtitutio ceſſat *l.3. §. ſi quis cum minor. ff de minor & ibi Gothof.* aut dolo malo majorem ſe aſſeverans adverſariū deceperit. *l.2. & t. t. C. ſi. min ſe major dix. l.2. §.3. ad SCtum Vell Gail. 2. obſ. 65. Mynſ. 4. obſ. 20.* *d*) *d. l 3. C. de reſtit in integ. ubi Sich. l.28. C de admin. tut. l.7. de cur. fur. l 20. de rit. nupt.* ubi curatoris officium in adminiſtratione negotior. conſiſtet. *l.8. C. de nupt.* ubi curator ſolum rei familiaris ſuſtinet adminiſtrationem. *l.21. de V.S. Gœdd. d. lo. c.7. concl.14. nu.263. Duar. Donell ad l 101. de V.O V Veſenb. in ff. h. n.4.* His cognitis perſpicuum erit filiumf. propter reſtitutionis beneficium firmiter non obligari per *all. tex niſi pro patre fidejubeat, tunc enim ſine effectu non erit fidejuſſio. l 3. l.10 § filiusf. h. t. l.8. C. eod l.8. C. ad SCtum. Vell.* ut ſi fiat, pro incarcerato, in totum beneficium reſtitutionis corruat, adeo ut ſi illum redimere neglexerit exheredari poſsit *A. captivi. C. de Epiſcop. & Cler. N.115. c.3. Franc c.2. n.145. Gomez. 2. var. 13. nu.19. Treutl p.2. diſp.28. th 2. lit. C.* *e*) *in l.101. de V.O. & 19. obſ.34.* *f*) *c 2. n.123.* *g*) *c.3. n.28. de jurejur.* *h*) *3. controv. 9. adde Bronch. 1. concil. 25.*

V.

Verum quid de Clericis, num & hi ad fidejubendum ſatis idonei cenſeantur? N.

c.1. de

*c. 1. de fidejuſ. c. te quidem. 1. q. 1. N 123. c. 6. Franc. c. 2. n. 218. Weſenb. in *. h. n. 3. Menoch. A. I. Q. c. 430. Gomeſ. 2. var. 13. n. 18.* ſiquidem privilegio ſori, cui de jure Canonico renunciare non poſſunt irrequiſito Epiſcopo defendi poſſunt *c ſi diligenti maniſeſtè c. ſignificaſti, c. cum contingat de for comp. Gail. 1. obſ. 37. & obſ. 40. Myſ. 1. obſer. 22. Franc c. 2. n. 231. Menoch. d. lo. q. 432.* dati tamen & accepti tenentur. *c. 2. 3. de fidejuſſ. Gœdd. c. 7. concl. 18. nu. 306. Franc. c. 2 nu. 234.* Hoc autem non extenditur ad monachos, qui nihil proprij habent & quicquid adquirunt, monaſterio adquirunt. *c. nulli 12. q. 2. l. 4. l. 32. de R. I.* niſi adminiſtratio monaſterij ipſis demandata ſit, illudque utilitatem inde ſentiat. *A. hoc jus porrectum. C. de SS. EE. Hartm Piſt. 1 q. 37. n. 24. vide Hering. c. 7. nu. 249.* Hic non incongrue quæritur ſi laicus fidejuſſit pro Clerico an talis fidejuſſor coram judice ſeculari conveniri poſſit. *A. ut eo melius cautum proſpectúmq; ſit creditorib. l. 1. l. 2. qui ſatisd. cog. cum quo alias non ſuiſſent contracturi l. 35. de recept. arb. Duar. ad t. Vbi & apud quem cog. in integ. reſtit. v. aut. n.*

VI.

Pro alio intercedens ipſo quidem jure tenebitur mulier, verum exceptione SCti Vell. oppoſita, tuta erit *a*) adeo ut actio in veterem debitorem reſtituatur b) niſi dotem promiſerit *c*) aut poſt biennium intercesſionem comprobaverit reiterando *d*) aut decipere voluerit *e*) aut alijs modis *f*) unde illa trita quæſtio reſultat, an à muliere huic benificio renunciari poſsit? *g*)

a) *l. 3. l. 45. h. t. t. ff. C. ad SCtum. Vell. l 6. l. 8. §. 1. qui ſatisd. cog.* ob ſexus muliebris imbecillitatem, quæ multis captionibus obnoxia, ejuſque verecundiæ, hoc parum eſt conveniens. *l. 1. l. 2. §. 1. & 2. ad SCtm. Vell. l. 2. de R. I.* ſuo autem nomine contrahens ab hoc repellitur beneficio. *l. 8. §. 1. l. 3. l. 25. §. 1. l. 6. ad SCtm. Vell. l. 2. ſ. 10. C. eod. Gail. 2. obſ. 89.* *b*) *l. 32. §. pen l 24. §. 2. l. 13. §. f. l. 25. inf. Gœdd. d. c. 7. concl. 16. n. 287. Gomeſ. 2. reſol. 13. n. 8. 16.* *c*) *l. 12. l. f. C. ad SCtm Vell l. 9. §. 1. l. 70. de jure dot l 14 C. eod. l. 85. de R. I. Franc. c. 2. n. 169. Treutl. p. 1. diſp. 25. th. 4.* *d*) *l. 22. C. ad SCtm. Vell.* excipitur caſus. *N. 134 c. 8.* nam pro marito intercedens non erit obligata. *A. ſi qua mulier. C. d. t.* niſi maniſeſtè probe-

probetur, quod pecuniæ in propriam ipſius utilitatem expenſæ ſint. *Gail. 2. obſ. 90.* e) *l. 30. ff. d. t. nam deceptis non decipientibus SCtm prodeſt. Franc. cap. 2. n. 164.* f) *l. 23. C. ad SCtm. Vell.* ſi accepto pretio interceſſerit. *l. pen. C. eod.* ſi libertatis cauſſa. *l. 16. de manumiſſ. teſtamento Sich. ad t. C. ad SCtm. Vell.* g) *A.* diſtinctione inter renunciationem judicialem & extrajudicialem rejecta. *ut & poſtea invita ab ea excludatur. l. 8. §. mulier. l. f. §. pen. ad SCtm Vell. Gœdd. c. 7. n. 290. & ad l. 3. nu. 24. de V. S. Anton. de Padill. ad l. f. C. de jur. & fact. ignor. n. 9.* Contrad. *Gomeſ. 2. reſ. 13. Duar. cap. 2. & VVeſenb. in ≠. ff. ad SCtm Vell.* Cum tamen in omni renunciatione neceſſaria ſit certioratio, illa ut & mulieri fiat congruum erit. *l. 5. l. 9. §. f. de tranſact. Sich. ad t. C. ad SCtm. Vell. n. 14. Gail. 2. obſ. 77. Thoming. deciſ. 1. Conſt. Elect. p. 2. cap. 17. Padilla d. lo. n. 10.* Licet tamen certior reddita non ſit, hoc SCto non juvabitur, ſi juramento fidejuſsionem ſuam confirmaverit. *c. ex reſcripto. c. cum contingat. c. veritatis de jurejur. Dn. Gœdd. d. c. 7. n. 298. Eberh. in Top. in lo. à. vi. energ. ſeu effic. juramenti. Gail. d. obſ. n. 10.* niſi enormiter læſa, hoc enim caſu dolus præſumitur. *l. 17. §. 1. Quæ in fraud. credit. l. 36. de V. O. l. 5. in f. C. de dol mal. c. quanto de jurejur. c. 1. §. quia vero. eod. t.* Contrad. *Covarr.*

VII.

Sic nexu fidejuſsionis liberari milites ex aſſe juris eſt.

l. milites C. locati. l. 8. §. 1. qui ſatisd. cog. Gomeſ. d. c. 13. n. 19. in f. 2. variar. reſol. ne ſcil. omiſſo armorum uſu, forenſibus negotijs ſeſe implicent, ſed numeris & ſignis ſuis jugiter inhærẽtes Remp. à qua aluntur ab omni. bellor neceſsitate defendant, & ob id tot ipſi habent conceſſa privilegia. *Gœdd. d. cap. 7. concl. 17. n. 300.* Idem juris etiam in noſtris militat. *vide diſp. 4.*

IIX.

Creditor tamen fidejuſſores accipiendo minus idoneos, in tantum eos approbare cenſetur, ut alios poſtea petere non poſsit *a)* etiamſi ignorantia allegata. *b)* Verum quid juris? ſi initio quidem idoneum, at medio tempore inhabilem, & non ſolvendo effectum acceperit, aliúmve idoneum

rectè

rectè petet? Accedo negativæ ſi ex conventione prior datus fuerit *c*) ſecus vero eſt, ſi ex neceſsitate pro forma contractus legisq́ue, diſpoſitione. *d*)

a) *l. 10. §. 1. ff. qui ſatisd cog. l. 3. in f. ff. h. quia ſibi imputet quod minus idoneos admiſerit. l. 1. §. 11. de ſepar. l. 5. §. 3. judicat. ſolv.* diligenter autem hic diſtinguendum inter non idoneos & prohibitos. *b*) *arg. l. 19. de R. I l. 5. ſi cert. pet.* Scire enim potuit, aut ignorare non debuit, minorem, clericum, monachum, alioſq́ue ſimiles non eſſe idoneos, confer. *l. 5. h. t.* Idonei v. reputantur facultatib. conveniendi facilitate, & ſanguinis conjunctione. *l. 2. qui ſatisd. cog.* *c*) *arg. l. 96. §. ſoror. 2. ff. de ſolut. l. 4. de hered. vel act. vend. quia fecit, quod facere promiſit, & proinde obligatio, qua tenebatur ab ſatis dandum extincta ſemel, non reviviſcit. l. 98. §. 8. de ſolut.* *d*) *arg. l. 10. §. 1. ubi Dd. l. 20. § pen. ff. de nov. opor. nunc. l. 4. de prætor. ſtipul. l. 3. § ſ. l. 4. ff. ut in poſſeſſionem legat. Marſ. d. tr. n. 74. Gomeſ. 2. var. 13.*

IX.

Hoc extra dubium, quod plures uno fidejuſſores aſſumi poſsint *a*) ſed utrum cogi poſsit principalis, ut liberet fidejuſſorem aliumque recipiat æque idoneum *b*) item num fidejuſſorem dare obligatus pignora dando liberetur *c*) inter partes hæret diſsidentes? N. utrobiq; veriorem puto.

a) *§. ſi plures 4. I. h. l. 3. l. 23. C. h. t. l. ſi plures ff. eod.* ſed hoc difficilius, utrum rei promittendi poſsint eſſe alterius fidejuſſores. *Dn. Gœdd. affirm. d tr. c. 5. à n. 134. contra Donell. quem ſequar.* *b*) *arg. l. 45. §. 2. ff. mandati.* undè clarè refulget creditorē cogi non poſſe, ut mutet debitorē. *Pin. ad l. 2 C. de reſcind. vend. p. 2. c. 1. n. 22. Marſil. d tr. n. 215.* Contrad. *Cagnol. in l. 25. de R. I.* *c*) *l. 7. de prætor. ſtipul. l. ſancimus C. de V. S.* Notum eſt invito creditori aliud pro alio non ſolui *l. 2. §. 1. de reb. cred. l. 16. l. 17. C. de ſolut.* Aliud autem eſt pignus, aliud eſt fidejuſſor. Intelligo autem hic creditorem nolentem, non conſentientem, illi enim non huic fit injuria, *l. 1. §. 5. de injur. & propterea huic non illi, aliud pro alio rectè ſoluitur, d. l. 17. vide Gœdd. ad l. 61. de V. S. & de contrah. ſtip. c. 5. n. 298. Donell. l. 5. §. 2. de V. O. Pac. 1. [illegible] 64.* Contrad. *Schneidew. ad pr. I. de ſatisd. tut. n. 4. & in §. ſed hodie I. de ſatisdat.*

X.

Omni omnino obligationi fidejuſſor accedat *a*) modo honeſtæ & poſsibili *b*) ſive naturali *c*) ſive civili *d*) tam contrahendæ *e*) quam contractæ, & principali & acceſſoriæ *f*) pro ſciente & ignorante. *g*

a) *ex quibuſcunque ortæ contractib.* §. *1. I.h.t. ff. C. de fidejuſſ. Bronch 4. cont. 60.* *b*) ſi turpis, & de facto eſt impoſsibilis obligatio, fidejuſſor non obligatur. *l.16.l.29.l.46.l.56.ff.h.t.l.5.C.de ll.* Cujus enim nullum eſt principium, nullum etiam conſequens ſeu acceſſorium eſt. *l.129.l.178. de R.I.c. acceſſorium de R.I. in 6.* *c*) *d.§.1.l.2.l.6.§.f.l.7.l.16.§.fidejuſſor.ff.h.* De prodigo cui bonis interdictum, eſt quod juſtè dubites numquid naturaliter ſaltem obligetur promittendo, ita ut fidejuſſor pro eo cũ effectu intervenire poſſit. *N. motus l.6.de V. O. tum quod quoad uſum judicij comparetur furioſo. l.40.de R I. tum quod per morum inſaniam neſciens rectè uti judicio, nihil ab eo diſtet, qui planè non utitur. cum perinde ſit aliquid non fieri vel non rectè fieri.l.1.§.2. Quod cujuſque univer. tum vel maximè quod naturali æquitate iſta non ſuſtentetur obligatio.* *d*) *d.§.1. I. h.* *e*) atq; ita non tantum præſenti. ſed & futuræ. *§.3.I.h.l.5.§.2.l.57.ff.eod.* modo futura ſit aliqua obligatio principalis & habetur ſpecies futuræ obligationis pro principali, & fidejuſsio verborum conceptu & tempore, non effectu ſuisq; viribus antecedit. *Mynſ.VVeſ.Vult.§.3.I. h.* *f*) ut eſt fidejuſſoris fidejuſſor, quem vocamus Schadloßbürgen oder Rückbürgen. *l.8.§.f.l.27.§.f.h t. Duar.c.3.h.VVeſenb.in ∞.n.4.* *g*) *l.30.ff.d.t.* Intereſt tamen plurimum, utrum pro mandante an vero ignorante principali interceſſerit, ſi de actione ipſi competenti quæſtio inſtituitur, quoniam illo caſu mandati, hoc negotior. geſtorum actio datur. *l.20.§.1.l.40.l.53.ff. Mandati. l f.C. de neg. geſt. Gœdd. de contra ſtip. c.5.n.28.& c.6.n.353.* Secus tamen in invito. *Treutl.p.2.diſp 28.th.4.lit.g.*

XI.

Nobiles hinc & ancipitis diſquiſitionis exurgunt quæſtiones 1. an pro conſervanda vel reſtituenda dote maritus fidejuſſorẽ dare compellatur? quod omnino nego *a*) adeo ut ſi ultro aliquem dederit, is tanquã contra legum decreta, intercedens non cenſeatur obſtrictus 2. an & quatenus in cau-

ſis criminalibus reus ſub fidejuſſoribus relaxandus ſit? & arbitrio judicis id committendum, etſi capitale judicium ſit, verius eſt. *b*) Hactenus tamen, ut fidejuſſores ad pecuniariam, non corporalem pœnam ſeſe obligent. *c*)

a) *l.1.l.2.C.ne fidejuſ. dot.dent. & ibi Cujac.in* ꝛ. *l. hac lege C. de pact. convent. tam ſuper dot.* nam hoc perfidiæ anſam pręberet inter cōjuges, cum plus fidei extraneo fidejubenti, quam proprio marito tribueret, cui corpus ſuum ſuamque vitam concredidit, cumq; concordia conjugalis omni lucro anteferenda. *l.5.C.de inſt.& ſubſt. Gœd.d.lo.c.6.n.360.Schneid.§.1.h.t. n.11.ubi 6.Mynſ.& Borch.*Contrad.*Duar.ad.t.ſol.matrim.tr.de jur.dot.c.4.Bald. ad §.1.I.h.n 2.Menoch.4.præſum. 190. n. 43.* Quid ſi ad inopiam vergat maritus, aut bona dilapidare incipiat? *Conſultius in hoc puto uxori eſſe, ſi ipſa dotem repetat, eiq; incumbat l.24 ſoluto matrim.l.29.l.30.§. omnis. C. de jur. dot. Neg.1.m.5.p.n.29.de pign.* quo caſu dos etiam ſequeſtrari poteſt *l.22.§ fina. v.ſin vero.Solut.matr.l.21.§ ſ de appell.Sich.d.l.29.n.21.Gœd.d c.6.n.390.* (*b*) diſtinctè agam, aut pecuniariā tantum pœnam crimen meruit, & fidejuſſorem rectè adhiberi vel inde patet, quod hæc fidejuſſio non impediat, verum promoveat delicti, pœnæq; executionem *per l.ſi à 70.§.ſ ideoq; recuſans fidejuſſorem injuriar. fit reus Hippol.de Marſ.de fidejuſ.Menoch.A.I.Q. lib.2. Caſ.303.n 3. Gomeſ.3.variar.9.n.8.& ſeqq.Franc.d.t.c.3.n.198.* Contrad. *tamen Dd.* pene omnes, ſtatuentes eum, qui in flagranti crimine deprehenſus, vel confeſſus eſt, ſub fidejuſſoribus non relaxari vide *Menoch. d lo.n.6.7.12.13.Gœdd c.6.n.408.De jure Saxon.* Thut man in Peinlichen ſachen keinen zu handen / der in handhafftiger That gefangen/ *art. 9. lib. 2.* Landrecht. Die andern mügen ausgebürget werden. Landr. *lib.1. art. 3. & 34. Schneidw. ad §. in omnibus n. 12. I. de fidejuſſ.* aut denique pœna corporalis futura eſt, quo caſu conſideratis circumſtantijs cum arbitrio judicis relaxandum concludimus, puta vel morbi rei aggraveſcente, vel dignitate ejuſdem id ſuadente, vel per teſtium peregrinationem & abſentiam nimis longam. *vide l. 1. l. 2. l. 3. l. 4. ff. de cuſtod. reor. A. hodie. C. eod. l. 6. §. ſuper his C. de appell. Menoch. Gœdd. dd. ll.* *c*) *l. 4. de cuſtod. reor. argum. l. 13. ad. L. Aquil. Weſenb. in* ꝛ. *h. nu. 4. Sichard. ad rubr. C. h. nu. 5. Moll. 2.ſem.2. n. 1.* Tum quia nemo membrorum, nedum vitæ, dominus ſit. *l,13. ad L.Aquil., tum quia pœnæ ſuos autores maneant. l. ſancimus. C. de pœn. Gœdd. cap. 6. num. 414.*

Diſſentientem *Alber. de Roſ. refutat.* Niſi accedat dolus fidejuſſoris, quo minus exhibeatur reus, vel ipſum doloſe celando, vel fugæ ejus ſubminiſtrando, tunc enim non ex obligatione fidejuſſoria, ſed ex delicto ad pœnam corporalem aſtringitur, ſubeundam *l. 12. l. 13. de cuſtod. reor.* Quod tamen tutius judicis arbitrio committendum. *VViſen. C. de cuſtod. reor. Franc. c. 3. n. 185. Menoch. 2. A. I. Q. c. 303. n. 38. & caſ. 304.*

XII.

Fidejuſsionis forma in eo conſiſtit, quod in ſuam fidem alienam obligationem fidejuſſor recipiat, *a*) Vnde nec in plus, nec in rem aliam vel factum aliud, quam reus principalis obligatus, fidejuſſorem accipi poſſe elucet *b*) Difficilius tamen hoc eſt, utrum in majorem ſummam fidejubentis obligatio in totum vacillet, an vero quoad quantitatem excedentem? prius placet, niſi illico diverſitas placuerit. *c*)

a) *§. 1. I. h. l. 1. §. 8. de O. & A. l. 8. in pr. ff. h. l. 1. C. eod.* atque hac forma, hocque fine non tantum à mandato, expromiſſione, novatione & delegatione, ſed etiam ſtipulatione principali, ſtipulationis enim ſpecies agnoſcimus duas principalem & acceſſoriam. *Hinc conſequitur errare interpp. formam fidejuſſonis in ſtipulatione vel in ſtipulationis ſolennitate ponentes, genus pro forma reponentes. Quis enim neſcit formam formati propriam eſſe oportere? Quis non deprehendit, ſolennem interrogationis & reſponſionis conceptionem non modo fidejuſſioni, verum etiam novationi voluntariæ ineſſe §. præterea I. Q. M. T. O. 2. v. novari poteſt, & tranſire in verborum obligationem. l. 5. v. & ſtipulatione. l. 6. l. 7. l. 22. l. 26. l. 28. l. 31. & l. f. de novat. l. 1. l. 3. l. 5. C. de novat. (novationem autem alio ſenſu & reſpectu eſſe diſtractum, alio v. contractū, & ſtipulationem quidem non ignoramus) item delegationi. l. 11. ff. d. t. l. 1. C. eod. VVeſ. in π. de novat. item ſtipulationi principali: quod nemo negabit, niſi ſtipulationē eſſe ſtipulationem negaverit.* *b*) *§. 5. ubi Dd. I. h. l. 8. §. 7. l. 16. § 1. l. 34. ff. h. t.* Quia ceſſat forma hujus obligationis: quod enim principalis non debet, fidejuſſor in ſuam fidem recipere nequit, ut ſi reus in pecunia fidejuſſor minus poteſt in tritico. *d. l. 8. §. 8.* Ceſſat finis, quia creditor de eo, quod non credidit, ſecurior reddi ſtulte deſideraret. Plus autem dicitur

quatuor

quatuor modis: cauſſa, re, tempore & loco. §. 33. *I. de A. ibid. Dn. Vult. Gœdd. c.6.concl.24.n.432. Gomeſ.2.var.13.n. 2.* c) *l.8.§.7.l.16.§.1.ff l 1.§.3. cum ſeq.l.120.d V.O.§.præterea I.de inutil.ſtip Conn 6.com 6. n. 8.Gœdd d.lo c.4. nu. 74.* Ratio hæc eſt, cum forma ſtipulationis vel in minimo vitiata, tota vitietur ſtipulatio. *l.9.§.3. ad exhibend.l.13.de V.O.deficiente autem ſtipulatione, deficit fidejuſſio, ne ſine genere ſpecies, ſine fundamento ædificium ponatur.* Contrad. *VVeſenb. h.n.5.Gomeſ.d.c.13.n.20.Sich.ad l.22.C.h t n.4. Mynſ Borch. ad §.5.I. h. quorum ſententiam etiam æquiorem & benigniorem putamus.* Verum quid juris, ſi juramento interpoſito, in majorem ſummam ſe obliget fidejuſſor? Juramentum excepto eo, quod libertus patrono jurat operas, dona, &c. nec jure Canon. nec civili contractum eſſe, nec contractum per ſe ullum corroborare aſſeveramus. *E.nec caſu noſtro.* Non tamen inficias imus juramentum hoc, cum non ſit contra bonos mores, ſervandum. *Hippolit. à Marſ. ad rub. de fidejuſſ. n. 291*

XIII.

Sicut autem contra finem eſt fidejuſsionis, ut extenſivè & in plus ratione rei ſe fidejuſſor obliget, ita ſecundum finem reputatur eſſe, ut intenſive atque arctiori vinculo ſe obſtringere poſsit. *a)* Utrum vero ad carcerem etiam, ardua & nobilis eſt quæſtio? A. tanq. ll. fundamentis veriorem propugnabo *b)* non autem quoad torturam *c)*

a) cum ſc. pro pupillo, furioſo. *l.2 l.6.§.f.l.7.l.16.§.3.l.25. l.70.§.4. l.35. h.l.127.de V.O. Gœdd c.6.433.* Quod adeo verum eſt, ut in integrum reſtituto minore fidejuſſori non ſuccurratur, niſi dolo ad fideijubendum inductus ſit. *l.1.2.C.de fidejuſſ. min.l 48 h.t.Franc c.3.n.2.* inſtrumento guarentigiato, *quod paratam habet excutionem VVeſenb. in ℞. h.n.5.Gomeſ. d lo.n.2.Franc c.4.n.131.& c.5.n.548.* Quid ſit guerentigia. *vide Coler.de proceſſ. exec.p.1.c.3.n.19.Marſ.n.293.* juramento. *Vult.1.R.l.cap.39. Gomeſ.d.lo.n.2.* hypotheca ſeu pignore. *l.2.17 25.C.h t. Gomeſ d. lo.* ita ut ſi malit creditor convenire fidejuſſorem, jus pignoris in eum transferre cogatur, tametſi hodie prius conveniendi ſint omnes, fidejuſſores & mandatores & ſponſores, quam ad pignorum perveniatur poſſeſſores non debitores *A. ſed hodie C. de O. & A.* aut adjectione alicujus pœnæ ſeſe obliget. *gl. in l.65.h.t.VVeſenb. h.t. Franc.c.4.n.117.* ſic fide jubens pro eo,

 qui

qui ſaltem naturaliter obligatus eſt, efficacius tenetur principali. *Qui hoc ſine fidejuſſor accipitur, ut quam ante diligentius & melius cautum ſit. in pr. I. h. t.* *b) arg. l. 3. §. 4. 5. de lib. hom. exhib. l. 7. § ſ. Qui ſatisd. cog. l. 1. C. qui bon ced. poſſunt, unde concludo :* ſi magiſtratus pro debito civili aliquem cuſtodiæ demandare poteſt, quid ni poſſet, quando ſe ſponte debitor ad carcerem obligavit. *vide l. 1. de pact. Col. de proceſſ. exec. p. 1. cap. 6. n. 40. Mynſ. 6. obſ. 51. Coſtal. ad l. 14. §. eleganter. Sol. matrim. Conſt. Elect. p. 2. cap. 21.* Contrad. *VVeſenb. in ** h n. 4. Menoch. 2. A. I. Q. cap. 305.* *c) l. 13. ad L. Aquil. Clar. §. ſ. q. 63. nu. 7.*

XIV.

Rite accepti fidejuſſores ſinguli in ſolidum tenentur *a)* quod quidem tempore fidejuſsionis in obligatione erat *b)* tenentur adeo, ut de jure veteri ſit liberum ſeligere à quo petere velit ſolidum, etiam omiſſo principali.

a) §. ſi plures 4. I. h. l. inter eos ff. eod l. 3. ubi & Don. C. eod. quia ſinguli locum obtinent principalis rei, qui in ſolidum tenetur. *Vult. ad d. §. 4.* niſi ab initio pro diviſo quid promiſerint, quomodo diviſam habent obligationem, & quilibet de eo quod promiſit tenetur. *d l. inter eos 51. l. 9. l. 43. eod.* *b) l. 4. inf. l. 68. §. 1. h l. 10. C. eod.* Hinc non leviter & hoc Dd. inter ſe ventilant: num fidejuſſor ex culpa vel mora non ſolutæ pecuniæ à debitore ad uſuras teneatur quod neutiquam putamus. *arg. l. 22. de O. & A. l. ſ. de tritic. l. 22. de reb. cred l. 59. de V. O. l. 8. de eo quod cert. lo. l. ſ. h. t.* ex propria autem mora fidejuſſor tenetur, ad id, quod intereſt. *l. 8. de eo quod cert lo. l. 49. § ſ. h.* niſi de eo ſpecialiter ſit conventum, vel in omnē cauſam ſe vadem conſtituerit. *l. 68. §. 1. h. l. ſ. C. h. l. 54.* locati, ubi perpetuat quidem obligationem, non tamen auget. *Dn. Praec. Vult. §. 1. I. h. t. n. 7. Dn. Gœdd. c. 11. concl. 10. n 125. Col. de proceſſ. exec. c. 10. n. 309. Coraſ. 2. miſc. 12. Fach. 7. cont. 57.* Contrad. *Conn. 6. com. 7. Donell. ad l. 8. de eo quod certo loco.* Nec ullam admittimus diſtinctionem inter contractus bonæf. & ſtricti juris. *l. 99. l. 76. §. 1. de V. O. Dn. Vult. d. lo. Gœd. d. lo. n. 132.* Contrad. *VVeſenb. de eo quod certo loco. Franc. c. 5. n. 59.* *c) l. 3. l. 5. l. 16. l. 21. l. 23. C. de fidejuſſ.* quia pure promiſſum ex natura ſtipulationis ſtatim exigi poteſt. *§. omnis I. de V. O.* ordo tamen excuſsionis etiam jure veteri conceditur cum quis indemnitatis fidejuſſor factus. *l ſ ff. de reb. cred. l. 10. l. 116. de V. O. l. 31. ff. de ſolut. Duar. ad d. l. 116. Gœdd. ad l. 150. n 2. ff. de V. S.*

XV.

Vt tamen fidejuſſores ipſi officioſi, aliorum officio & privilegio non priventur tribus gaudent beneficijs. 1. eſt ordinis ſeu excuſsionis jure Novellar. primo ipſis indultũ, quo utentes niſi principali prius excuſſo ſatisfacere non tenentur *a*) 2. eſt diviſionis ex D. Hadriani epiſtola eo etiã competens caſu, quando unus fidejuſſorum exceptione ordinis vel nolit, vel non poteſt uti, quo cogitur creditor inter omnes tempore litis conteſtatæ ſolvendo exiſtentes in partes viriles actionem dividere *b*) 3. beneficium cedendar. actionum, quo quis fidejuſſorum, ſi neutro uſus beneficio in ſolidum conventus & condemnatus non ante ſolvere compellitur, quam ceſsis ſibi à creditore in debitorem & confidejuſſores actionibus, & pignorib. *c*)

a) *A. præſente C. de fidejuſ. N. 4. & ibi Cujac Don. ad l. 2. & d. A Mynſ. cent. 2. obſ. 15. Sich. ad d. A.* atque hoc beneficium, quod olim idemnitatis tantum promiſſoribus dabatur, *hodie commune eſt, ſed ita ut ſint quibus non permittitur*, ceu ſunt qui ſe tanquam principales aſtrinxerunt, vulgo Selbſſchuldiger. *Gail. 2. obſ. 82. l. 1. §. 5. depoſiti, nam verba illa cum virtute & energia ſunt accipienda, nihil in inſtrumento debet eſſe otioſum & ſuperfluum. Coler. de proc. p 1. c. 10. n. 255. Gædd. c. 9. n. 97.* Diſſ. Schneid. § *4. I. h. n. 12. Vaſq. ill. cont. c. 33. n. 9. Gomeſ. all lo. n. 4.* Jure tamen Saxonico noviſs. *part. 2. in ordin. D. A.* conſt. 18. deciſum eſt, ne tacita renunciatio hoc caſu ſtatuatur. Item non utantur eo, qui fraude negarunt ſe eſſe fidejuſſores & poſtea mendacij convicti. *l. 10. §. 1. h. Mynſ. d. lo. cent. 2. obſ. 15.* Quid autem obtinet ſi fidejuſſor ſe obſtrinxit jurejurando, gaudebit ne hoc pirvilegio, an vero renunciaſſe ei intelligitur? neutiquam, nam juramentũ ſapit naturã contractus cui accedit. *l f. C. de non num pecun. Franc. de fidejuſ. c. 5. n. 386. Fach. 3. contro. 15.* Contrad. *Gail. 2. obſ 27. n. 22.* Verum hic in arduam non poſtremæ autoritatis ICti deſcendunt quæſtionẽ: utrum hæc excuſsionis exceptio ante litem conteſtatam opponi debeat, an vero quandoque ante ſententiam poſsit?

Poſterius æquius eſt. *l. 10. C h Gail. 2. obſ. 27. n 3. Gœdd. c. 9. n. 103.* Contrad. *Gomeſ. d. lo. n. 4.* *b)* *§. 4. I. h. t. l. 26. §. ſi plures. §. f. l. ſi contendat. ff. eod. l. 10. l. 23. C. eod.* Rationes habet Donell. *15. com. 48. Gœdd. d. c. 9. nu. 107.* æqualitas ſit inter æquales, vide *Mynſ. ad d. §. 4.* Jam lubet indagare ſi minor fidejuſſor in integrum reſtituatur, an in ſolidum vel ſaltem in virilem partē alter fide juſſor teneatur? ubi adhibita diſtinctione, ut ſi ſimul fidejuſſerit, aut dolo datus ſit, quod tunc pro parte ſi poſtea acceſſerit, quod tunc in ſolidum tentatur. *Cujac. 10. obſ. 23.* Quouſque vero opponatur, non una omnium ſententia, id quandoque ante ſententiam opponi poſſe communius traditur. *l. 10. C. h. t. Gail. 2. obſerv. 27.* Contrad. *VVeſenb. in π. h. n. 6. Col. p. 4 c. 1. n. 96.* *c)* *l. 1. l. 11. l. 14. C. h. t. l. 17. l. 36 l. 39. ff. eod. Gomeſ. d lo. n. 15.* Beneficium autem hoc ante ſolutionem vel in ipſa ſolutione à creditore eſt impetrandum. *l. 17. ff. h t. l. 11. C. eod.* Poſt illam fruſtra poſtulatur, niſi aliter ſit conventū. *Gœdd. c. 5. n. 11. 114. & ſeq.* Contrad. *Col. d. lo. p. 1. c. 1. n. 369. Menoch. 2. A. I. Q. 5. 88.* Sed an volens creditor eas cedere poſsit, ſi ſolutione facta de credendo nihil convenerit, difficilima eſt quæſtio. *A. Don. N. Gœdd. pro Gœdd. ſtab.*

XVI.

Fidejuſsio extinguitur iiſdē modis quib. principalis obligatio: puta ſolutione *a)* novatione *c)* confuſione *b)* præſcriptione *d)* ſententia definitiva *e)* ſimilibusque modis. Verum an ſola prorogatio termini ad ſolvendum inſcio fidejuſſore facta eum liberet, etiam non indiſcuſſum relinquendum. *f)*

a) *pr. I. Q. M. T. O. l. 23. l. 40. l. 35. de ſolut.* *b)* *l. novatione. C. h. t. Franc. h. c. 5. n. 114. & c. 6. n. 13.* *c)* *l. 93. §. ſ. de ſolut. Gomeſ. all. lo. n. 19. Gœdd. c. 12. concl. 12. nu. 89.* Contrad. *Cujac. 15. obſ. 11.* *d)* *l. 3. 4. C. de præſcript. 30. ann. l. 2. C. de conſt. pec. Gome. d. l. Franc. c. 6. n. 84.* *e)* *l. 56 de re jud. Gail. 2. obſ. 29. n. 11.* *f)* *N. quoad ſubſequens tamen tempus nullum præjudicium fidejuſſori fieri exiſtimo l. 7. C. locat. & ibi Sich. l. 122. §. 1. de V. O. Mynſ. 6. obſ. 53. Col. de proceſſ. p. 1. c. 10. n 298. Gœdd. c. 12. concl. 10.*

XVII.

Eleganter denique quæritur, an condemnato

reo

reo ſententia lata, contra fidejuſſorem exequi poſſit magiſtratus? Quod in judicij non contractuum fidejuſſore obtinere ſtatuo.

l. 6. §. 7. mandati Gœddæ. cap. 12. n. 88. Vaud. 1. quæſt. 36. Gail. 1. obſerv. 123. nu. 12. & 17.

XIIX.

Cum nemini officium ſuum nocere debeat *a)* ſolutione jam facta habet adverſus reum principalem regreſſum fidejuſſor actione mandati *b)* qua non tantum ad id, quod exolvit, conſequendum *c)* verum etiam ad damnum & expenſas & ad omne id, quod intereſt reſarciendum experiri poteſt *d)* niſi injuſtè condemnatus non appellaverit, aut aliquis dolus vel culpa ipſi imputanda fuerit. *e)*

a) l. 7. quemadmodum teſtamenta aper. l. 61. §. 5. de furt. l. 140. de R. I.
b) ſi ſc. pro ſciente pro ignorante autem negotior. geſtorum. *vide ſup.*
c) vel quocunque modo liberaverit. §. *ſi quid autem I. h. ubi Mynſing. Schneidvv.* vel delegando ſuum debitorem, cum & is ſolviſſe dicatur. *L. 18. h. t.* vel pecuniam offerendo, & in publicum obſignatam deponendo. *l. 64. h. l. 56. §. 1. mandati.* *d) Col. d. lo. p. 4. c. 1. n. 88.* *e) L. 32. l. 67. h. Franc. c. 5. n. 531.*

Corollaria politica.

1. An inferiores etiam judices ex æquo & bono poſſint judicare.
2. An Domini ob nimiam in ſubditos ſævitiam aut tyrannidem juriſdictionem amittant.
3. An amor conjugalis primum & ſupremum amicitiæ gradum obtineat & an in pari cauſſa conjunx etiam liberis carior ſit.
4. Num JCtus, ut eſt & nomen ſuſtinet JCti ſine politica ſcientia perfectus videatur.
5. Utrum major ſit & conſtantior ea conjunctio, quæ nobis ſanguine

conciliatur, quàm ea quæ probitate, aut virtute contrahitur.

6. An amicitia ad filios defunctorum continuetur.

7. An princeps ſubditos ſuos cogere poſsit, ut rem ipſius puta, ſal, vectigal aut ejus generis alia, carius emant, aut conducant, quam alias emere aut conducere potuiſſent.

8. An obligatio creditorum vel fidejuſſorum ſub pœna obſtagij, zum einreitten vnd Leiſten de jure valeat.

9. An honor qui debetur vivo debeatur etiam mortuo.

10. Utrum Reip. forma mutata eædem ll. ad tempus retinendæ ſint.

11. An rerump. converſiones præſciri poſsint.

12. Cur apud principes adulatorum plurimum valeat autoritas tradit Heresb. de erud. princip. lib. 1. cap. 5.

13. An ab eventu conſilia vel laudari vel reprehendi par ſit. Sturc. ad l. conſilij. n. 17. de R. J.

14. Utrum Clerici poſſint eſſe conſiliarij principis laici. P. Greg. 4. part. Juris Canon. t. 8. c. 9. lit. B.

15. Studioſus an fidejuſſor factus ad aliam Academiam migraturus rectè aget ad liberationem.

16. An mortui debitoris cadaver à creditore arreſto inhumatum detineri poſsit.

Hypotheſes cum quæſtionibus.

I.

Conſuetudine loci ſtante, quod in ſucceſſione collateralium fœminæ, quamvis gradu proximiores à maſculis agnatis excluderentur, item quod in ſucceſſione deſcendentium maſculus duplo plus quam fœmina perciperet (ut in Dania) Iohannes habens filios duos Petrum & Paulum, item duas filias, teſtamento facto filios & filias æqualiter hæredes inſtituit, eosq́ invicem ſubſtituit, ſi aliquem ex ijs ſine liberis mori contigerit, mortuo teſtatore moritur item Petrus relictis duobus filijs, moritur tandem & frater ejus Paulus, nullis poſt ſe relictis liberis. De ejus hereditate inter nepotes ex fratre Petro actores ex una, & ſorores defuncti reas conventis ex altera parte contentio eſt, quæritur quid juris.

Pecuni-

II.

Pecuniam, quam debitor meus mihi ſolvit, poſt mortem ejus ab herede petij, heres condemnatus eam pecuniam mihi iterum ſolvit, poſtea inventa apocha, quam defuncto dederam, heres intelligit ſe bis idem ſolviſſe, quæritur an ſit aliqua actio ob apocham poſtea inventam.

III.

Hodie, in omnibus inſtrumentis mutui & aliorum contractuum exprimitur, quod creditor teneatur ſolvere non tantum creditori & ejus heredibus, ſed & quibuslibet bonæfidei poſſeſſoribus ac detentatoribus inſtrumenti, ſecundum clauſulam communem, Jch gerede vnd gelobe meinem Gläubiger / ſeinen Erben vnd Erbnemen oder ſonſten Trewen Brieffs Jnhabern / auff *datum,* Tag vnd Jahr zahlung zu thun / Vnd wo ich es nicht thue / ſo ſollen er oder ſie gut fug vnd macht haben / meine Perſon vnd Güter wo ſie anzutreffen / zu hemmen / zu kümmern / vnd vffzuhalten. *Caſus igitur ſit: inſtrumentum poſt terminum ſolutioni præfixum exiſtit in alterius manibus, quam creditoris, quæritur an iſte tertius poſſeſſor inſtrumenti volens manus injectione uti, petendo arreſtationem bonorum, vel perſonæ debitoris, ſit audiendus, an vero teneatur ante omnia probare titulum, ex qua videlicet cauſa ad ipſum pervenerit hoc inſtrumentum, aut ſaltem docere, teneatur quod bonæfidei poſſeſſor exiſtat.*

Ad CLAUDIUM PLUMIUM, Danum: De FIDEIUSSORIBUS diſputantem.

NEMPE aliquis lucus Codex mihi Juris habetur,
In quo Juſtitiæ lucet imago Deæ.
Multi multa movent celebres in Jure magiſtri,
Lucus ut iſte ſui luceat igne fori.
Multi etiam eluci dum lucem accendere tentāt,
Eluſcant fatui fomitis igne Deam.
Tu quoq́; BLUMIADE Danorum germen, in illis
Qui lucum hunc luſtrant, tendis habere locū:
Jamq́;, Fidejuſſor credendiq́; auctor ut æquâ
Lege tenere ſuum jus queat, *enucleas.*
Laudo fidem luſtriq́; facem, quam tiro minaris:
Laudabit mecum Dania, quanta tua eſt.
Namq́; Fidejuſſor *credendiq́; auctor amicis*
Factus & ipſe domi es, te fore Juſtificum.

VVitebergæ faciebam.
Frid. Taubmanus, Poeta & Profeſſor.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE